

enim legum erit utilitas, si in literis duntaxat consistant, non etiam per ipsa facta atq; opera subditis utilitatem de se praebeant: ubi Dionys. Gotbolfredus addit, Legum namque utilitas non in earum scripturâ consistit, sed observantiâ.

De Legibus itaq; loco sermonis *ὑποβατηεῖς* seu, ut *Basilius M.* appellat, *ἐξίτηεῖς* quædam perorabit CHRISTIANUS Richter Vetschoviâ Lusatus, qui & antea ann. 1669. in festo solenni de Angelis sermonem Latinum habuit, namq; adolescentiam atq; diligentiam suam in annum sextum nostræ Scholæ suisq; studijs impendit, jam ex voluntate Parentis sui altiora in Academicâ luce aggressurus, ad quod laudabile propositum omnia bona *ἐκ τῶν ὀρευνῶν μυχῆ* vovemus & precamur, præsertim quum meliori cum gratiâ & honestiori titulo à nobis discedat, quàm duo ipsiq; conterranei, qui nuper adeò nobis planè insalutatis si non aufugerunt, abierunt tamen. Merita sanè Scholarum excellentiora sunt, quàm ut à quolibet impurato cuculo ita sint inonestanda. Deinde etiam SAMUEL Schüller Polavia Lusatus suarum esse partium duxit, ut absoluto heic sexennio publicas agat gratias, quum gratis vixerit tum in schola contubernio, tum in Mättigiano beneficio: idq; faciet oratione ligatâ, quâ Psalm. CIX. (CIIIX. eâ de causâ præteritur, quia partim in LVII. partim in LX. versò auditus est) *metris elegiacis*, suam verò *εὐχαεῖς ἰκὴν hexametris* inclusit, multum enim valet in exercitio Poëtico, & anno 1670. Psalm LXXV. ita redditura, ann. seq. in medijs septimanis Paschalibus justam orationem de Synecdoche Rbetoricâ cum laude exhibuit. Fuit adolescens sui cognominis probus atq; industrius, neque de turbationibus aut abnoctationibus ipsius quicquam ad nos relatam meminimus, nec diffidimus, quin & *εἰς τὸ μέλλον* his & fraternis vestigijs sit institurûs. Hoc alma faxit Trias, cui sit laus & gloria in sæcula sæculorum!

P. P. Budissæ in Vigil. Domin. Jubilate anni quo iterum suspiramus

Pestis atroX, peCCata, faMes, fera beLLa fatIsCant,  
ne Lapsent ChrIsti, Christe benIgne, tVI,

\* \* \*